

(Ibid. ad 1.) Homines nunquam desiderunt esse Dei quoad subjectionem eius potestati, C. quoad unionem per charitatem, N. pro peccatum enim facti sumus Deo inimici, & ab eo secundum affectum divisi, atque servituti diaboli subjecti.

Inferes: Ergo pretium redemptionis nostrae solvendum, & offerendum erat diabolo, & non Deo. Prob. Illatio. Quicumque emit, aut redimit aliquid, pretium solvit ei, qui possidet; atque ex solutione praecedenti diabolus homines possidebat, utpote ejus servituti subjectos, ut dictum est: ergo.

R. N. Illat. ad prob. D. Min. (Ibid. ad 2. & 3.) Diabolus homines possidebat, ut tortor, seu minister ex permissione, & ordinatione Dei, C. ut Judex seu Princeps propria auctoritate, N. Ad quorum intelligentiam observandum est, quod homo peccando oblatas erat Deo, & diabolo. Quantum enim ad culpam Deum offenderat, & diabolo consentiens se ei subdiderat: unde ratione culpa non erat factus servus Dei, sed potius ab ejus servitute recedens diaboli servitutum incurerat, Deo ut Principe offenso justè id permittente: sed quantum ad poenam principaliter homo erat obligatus Deo sicut summo judici, diabolo autem tanquam tortori. Quamvis ergo diabolus teneret hominem sub servitute, & quantum ad poenam, & quantum ad culpam; quia tamen sic erat quantum ad culpam ex permissione Dei per illum offensi, & quantum ad poenam ex justa ejus ordinatione, ita ut diabolus esset tantum in iis minister, ideo non illi, sed Deo pretium redemptionis erat solvendum, & offerendum.

Dico 5. (Ibid. art. 5. o.) Christo homini proprium est esse redemptionem strictè sumptum; quia redimere strictè, & propriè est de suo solvere pretium liberationis; atque solus Christus solvit rigorosè de suo pretium nostrae liberationis, fundendo scilicet vitam, sanguinem suum: ergo. Dixi: Redemptorem strictè sumptum (Ibid. ad 1. & 2.) quia si latiori sensu dicatur redemptoris, qui est prima causa, & auctor redemptionis, dando eum qui solvit, inspirando illi voluntatem solvendi, & cum illo ad omne opus redemptionis operando, hoc sensu tota Trinitas nos redemit: hæc enim dedit nobis Christum hominem, inspiravit illi voluntatem patienti, & omnes actiones redemptionis humane in eo operata est. Et ideo Auctor dicit, in quantum est immediatè Redemptorem proprium sui Christi, in quantum est homo: quamvis ipsa redemptio possit attribui toti Trinitati, sicut primæ causæ.

Dices 1. Merita Sanctorum nobis applicantur per Indulgentias in remissionem poenarum, peccatis nostris debiturum: ergo dici possunt nostri Redemptores. 2. Sancti dicuntur nostri Mediatores, Galat. 5. ergo & Redemptores. 3. Moyses Act. 7. dicitur Redemptor: ergo. R. Ad 1. merita Sanctorum non nos a culpa & poena aeterna, sed temporali tantum liberat, idque non nisi præsupposita redemptione per Christum facta, & ideo neque secundum rigorem justitiæ. Quando autem dicimus, esse proprium Christo esse Redemptorem, intelligimus de redemp-

tione a culpa, & poena aeterna, atque secundum rigorem justitiæ. Et hinc patet ad 2. quia in meditatione non importatur æqualitas & rigor justitiæ, sicut in redemptione. Ad 3. Moyses dicitur est Redemptor, non respectivè ad culpam & poenam aeternam, sed ad captivitatem Ægyptiacam, a qua Israelitas liberavit. Neque id fuit propriè redimere, cum nihil fuerit solutum pro liberatione.

Dico 5. (Ibid. art. 6. o.) Passio Christi, hoc est, humanitas Christi, ut aliquando subjecta Passioni, sicut nostram operatur efficienter; quia est instrumentum Divinitatis. Sic intelligendum esse Auctorem, cum dicitur Passione Christi causare efficienter nostram salutem, constat; quia ad efficientiam realem, & physicam requiritur existentia causæ: non autem amplius existit Passio Christi; & ita se explicat S. D. quæst. seq. art. 1. in fine corp.

ARTICULUS II.

De effectibus Passionis Christi.

Dico 1. (Quæst. 49. art. 1. o.) Per Passionem Christi liberati sumus a peccato, quatenus Christus, sicut dictum est Art. præced. ut cepit nostrum per Passionem tanquam per pretium redemit nos, ut membra sua a peccatis: sicut si homo per aliquod opus meritorium, quod manu exercet, redimeret se a peccato, quod pedibus commisisset. Sicut enim corpus naturale est unum ex membrorum diversitate consistens, ita tota Ecclesia, quæ est mysticum corpus Christi, computatur quasi una persona cum suo capite, quod est Christus. Ceterum conclusionem sic intellige, (Ibid. ad 3. & 4.) non quod Passio Christi actu efficaciter omnes homines liberet a peccato, (quot sunt enim qui adhuc in eo permanent) sed quod sit causa universalis sufficiens ad redemptionem peccatorum totius generis humani, quæ tamen ut effectum habeat, debet applicari. Sicut, si medicus prepararet medicinam omnis generis morborum sanativam, nullam sanaret nisi applicata seu sumpta.

Ex hac Concl. sequitur 1. (Ibid. art. 2. o.) quod per Passionem Christi liberati sumus a potestate diaboli, in cuius servitute incidimus per peccatum. Sequitur 2. (Ibid. art. 3. o.) sublato peccato, nos liberari a poena aeterna illi debita. Sequitur 3. (Ibid. art. 4. o.) nos esse Deo reconciliatos soluti causa inimicitie, quæ erat peccatum. Sequitur 4. (Ibid. art. 5. o.) apertam nobis esse januam Cæli sublato impedimento ad egressum, quod est peccatum. His omnes sequelas intellige ad sensum dictam conclusionis: scilicet Passione Christi esse causam universalem, quæ sit sufficiens ad hos omnes effectus, quos tamen ut actu operetur, debet applicari per sacramenta, & bona opera.

Dico 2. (Ibid. art. 6. o.) Christus per suam Passionem meruit exaltari. Pro quo vide Tract. de Incarn. Diss. 19. art. 2.

DISSERTATIO XI.

DE MORTE, SEPULTURA, ET DESCENSU CHRISTI AD INFEROS.

Div. Thom. 22. 51. 52. & 53.

ARTICULUS I.

De Morte Christi.

Occurrunt in hoc Articulo discutienda. 1. An conveniens fuerit, Christum mori? 2. An per mortem Divinitas fuerit separata a corpore? 3. An ab anima? 4. An in triduo mortis Christus fuerit homo? 5. Utrum ejus corpus fuerit idem numero vivum & mortuum? 6. Utrum mors ejus aliquid operata sit ad nostram salutem? Ad quorum resolutionem.

Dico 1. (Quæst. 50. art. 1. o.) Conveniens fuit, Christum mori. 1. Ut satisficeret pro nobis, qui propter peccatum adjuicati eramus mortui. 2. Ut ostenderet veritatem naturæ assumptæ; si enim post conversationem cum hominibus subito sine morte evanisset, ab omnibus crederetur phantasma. 3. Ut moriendo nos a timore mortis liberaret. 4. Ut resurgendo a mortuis, & virtutem suam ostenderet, qua mortem superavit, & nobis spei resurgendi a mortuis daret. Unde Apostolus 1. Cor. 15. Si Christus prædicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quisquam in vobis dicunt, quoniam resurrectio mortuorum non est? Confer. Diss. 9. art. 1. Concl. 2.

Dico 2. (Ibid. art. 2. o.) In morte Christi Divinitas non fuit separata ab ejus corpore; sed ipsi in se hypostaticè unita, ita ut non esset alia hypostasis Verbi Dei & carnis post mortem,

Prob. 1. (Ibid.) Quod per gratiam Dei conceditur, ut quid natura sua permanens, nunquam absque culpa revocatur: unde Rom. 11. dicitur, quod sine penitentia sunt Dona Dei: sic gratia adoptionis, per quam homines sanctificantur, nunquam perditur sine culpa. Atque gratia unionis, per quam Divinitas est unita carni Christi in persona, multo major est gratia adoptionis, etiam magis personalis, gratia autem adoptionis ad quamdam unionem affectivalem; neque in Christo fuit, aut potuit esse ullum peccatum: Ergo.

2. Et, (Ibid. in art. 5. c.) quæ sunt humane naturæ, non dicuntur de Filio Dei, nisi ratione unionis hypostaticæ; atque de Filio Dei dicitur, quod convenit corpori Christi post mortem, scilicet esse sepultum, ut patet ex Symbolo Fidei, in quo dicitur, quod Filius Dei sit passus, mortuus, & sepultus: ergo Divinitas non fuit in morte separata a corpore. Neque etiam fuisse in triduo mortis separatam a sanguine fuso, dixi in Tract. de Incarn. Diss. 7. art. 2. in fine.

Dico 3. (Ibid. art. 3. o.) In morte Christi Divinitas non fuit separata ab ejus anima. 1. Quia anima unita est Verbo Dei per prius, & immediatè, quam corpus, siquidem corpus fuerit unitum mediante anima, seu ratione animæ: Christus enim assumpsit naturam humanam, corpus autem per animam pertinet ad naturam humanam; atque in morte Christi Divinitas non

DE MYSTERIIS CHRISTI.

non fuit separata a corpore, ut dictum est: ergo multo minùs ab anima. 2. De Filio Dei prædicatur, quod est animæ, scilicet, quod descenderit ad Inferos; atque, ut dictum est, ea, quæ sunt naturæ humane, non dicuntur de Filio Dei, nisi ratione unionis hypostaticæ: ergo.

Dico 4. (Ibid. art. 4. o.) Erroneum est dicere, Christum in triduo mortis esse hominem; quia, cum sit verè mortuus, anima ejus a corpore separata est; in qua separatione sita est mors, & destructio humanitatis, sicut in eorum unionem sita est humanitas.

Neque etiam in triduo mortis propriè fuit Christus; quia Christus dicitur suppositum existens in natura divina, & humana: tunc autem natura humana desiderat per separationem animæ a corpore, ut dictum est. Paterat tamen per Synecdochen dici Christus, sicut etiam nùm dicitur S. Petrus.

Dico 5. (Ibid. art. 5. o.) Corpus Christi vivum, & mortuum fuit idem numero absolute; quia aliquid dicitur idem numero absolute, quod est idem supposito: corpus autem Christi vivum, & mortuum fuit idem supposito, ut patet ex dictis. Non fuit tamen idem numero omnino, & totalitèr, quia vita, quam amisit in morte, est de essentia corporis viventis. Unde non fuit idem numero secundum speciem naturæ humane.

Si petas, utrum corpus Christi mortuum manserit sine forma substantiali? R. probabiliùs negative, sed assumpsisse formam cadaveris humani; quia secundum principia Philosophiæ materia non potest naturalitèr esse sine forma, nec videtur hic necessitas adstruendi miraculum.

Inferes 1. Ergo est diversitas corporis. 2. Ergo Verbum dimisit aliquando, quod assumpsit. R. ad 1. esse diversitatem corporis ratione novæ forme, & ideo non esse idem numero secundum speciem naturæ humane, ut dictum est, remanet tamen idem supposito. Ad 2. Nihil repugnat, quod Christus dimiserit id, quod non fuit principalitèr assumptum, ut fuit forma cadaverica.

Dico 6. (Ibid. art. 6. o.) Mors Christi in facto esse nihil operata est ad nostram salutem per modum meriti, quia Christus tunc mortuus erat extra statum merendi. Si autem per mortem in facto esse intelligamus carnem mortuam, potuit operari efficienter ad nostram salutem, quia remanebat instrumentum Divinitatis sibi unitæ.

ARTICULUS II.

De Sepultura Christi.

Dico 1. (quæst. 51. art. 1. o.) Convenientèr Christus fuit sepultus, tum ad comprobendam veritatem mortis; non enim aliquis in sepulchro ponitur, nisi quando jam de veritate mortis constat: tum quia per hoc quod Christus de sepulchro resurrexit, datur spes resurgendi per ipsum his, qui sunt in sepulchro.

Dico 2. (Ibid. art. 2.) Convenienti modo Christus fuit sepultus. Juxta Matth. 27. & Joann. 19. Joseph ab Arimathea cum Nicodemo 1. Corpus Christi nuxit centum libris aromatum ex myrrha, & aloè, emptis a Nicodemo. 2. Involvit sindone munda. 3. Posuit in monumento suo novo. 4. Hoc monumentum erat in horto vicino. 5. Excisum erat in petra. 6. Advolvit magnum saxum ad ostium monumenti. Hæc autem omnia dicimus convenienter facta.

1. (Ibid. ad 2. & 3.) Corpus Christi aromatis myrrhæ, & aloè conditur convenienter moribus Judæorum, qui sic solebant condire corpora, ut diutius conservarentur illæsa. In hujusmodi autem officis, quæ mortuis exhibentur, mos cujuslibet gentis est servandus, inquit Aug. Tract. 120. in Joan. 2. (Ibid. ad 3.) Involvit sindone munda ad decentiam honestatis. 3. (Ibid. ad 4.) Sepelitur in monumento alieno, ut, qui dormit in vita non habuit, post mortem quoque in alieno sepulchro reconderetur. Item in monumento novo, in quo scilicet nemo antea positus fuerat, ne alius ibi sepultus resurrexisset fingeretur, & crederetur. Hoc monumentum erat in horto, quia nemo sepeliebatur in urbe. 5. (Ibid.) Excisum erat in petra, sic disponente divina providentia, ne si ex lapidibus fuisset extractum, suffossis fundamentis, vel dirutis, & repositis ladicibus, rapum a Discipulis fingeretur. Si enim in terra fuisset sepultus, dicere poterant: suffoderunt terram, & furati sunt eum. 6. Advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, iterum contra calumnias Resurrectionis, ut sine plurimorum auxilio reserari non posset monumentum.

Dico 3. (Ibid. art. 3. o.) Corpus Christi mansit incorruptum in sepulchro, ad ostensionem divinæ virtutis, & ne crederetur, mortem ejus fuisse ex infirmitate nature, & non voluntariam; corruptio enim cujuscumque corporis provenit ex infirmitate nature illius corporis, quæ non potest amplius corpus continere in unum.

Theol. Billuart. Pars Tertia.

Dico 4. (Ibid. art. 4. o.) Christus fuit convenienter una die, & duabus noctibus in sepulchro. Ratio est, (Q. 53. art. 2. o.) quia istud tempus requirebatur, & sufficiebat ad probandam veritatem mortis Christi, ut dicam de ejus Resurrectione.

Dices: Matth. 12. dicit Christus: Sicut Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus: Ergo. R. hic tres dies, & tres noctes, scilicet naturales, intelligendas esse per Synecdochen, sumendo partem pro toto. Sic ergo primus dies, & prima nox computantur ab extremitate diei feriæ sextæ, qua Christus mortuus, & sepultus est, usque ad mediam noctem Sabbathi. Secundus dies, & secunda nox a media nocte Sabbathi usque ad mediam noctem diei Dominicæ. Tertius dies, & tertia nox a media nocte diei Dominicæ ad auroram ejusdem diei, qua Christus resurrexit.

ARTICULUS III.

De Descensu Christi ad Inferos.

Occurrunt hic explicanda, 1. an anima Christi realitèr, & substantialitèr, & non tantum secundum effectum descenderit in Infernum? 2. an convenienter descenderit? 3. in quem Infernum descenderit? 4. utrum aliquam moram ibi traxerit? 5. utrum SS. Patres ab Inferno liberaverit? 6. utrum etiam damnatos, & pueros in peccato originali defunctos? 7. item, & an animas Purgatorii?

Dico 1. (Quæst. 52. art. 1.) Christus, hoc est, anima Christi realitèr, & substantialitèr descendit ad Inferos, & non tantum secundum effectum, & operationem, Prob. 1. ex Symbolo Apostol. in quo dicitur, Descendit ad Inferos, quod obviè, & naturalitèr intelligitur de descensu reali, & substantiali, & non secundum effectum tantum; sicque intelligit communis sensus Fidelium. (2. 2. quæst. art. 9. ad 4.) Hujus autem non meminit Symbolum Nicænum, quia suppositum expressum in Symbolo Ap. & nullus tunc error circa hunc articulum exortus erat, qui indigeret nova expressione.

2. Ps. 15. Non derelinques animam meam in Inferno: quod Petrus Act. de Christo interpretatur.

3. Ephes. 4. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia, & descendit primum inferiores partes terræ? Inferiora autem terræ, inquit Hieron. Infernus accipitur. Eo modo ergo juxta Apost. Christus descendit in Infernum, quo modo ascendit in Cælum realitèr autem, & substantialitèr ascendit in Cælum: ergo.

4. Tandem hæc doctrinam tradunt Conc. Lateran. sub Innoc. III. cap. Firmittèr de SS. Trinitate, Symbolum dictum S. Athanasii, S. Ignat. Ep. ad Trallianos, Nazianz. Orat. 2. de Resurr. Nyssenus Orat. 1. Aug. Ep. 57. & 99. & alii.

Dices cum Durando. 1. Anima separata non potest moveri localitèr. 2. Substantia spiritualis non est in loco nisi per operationem. Atque anima Christi separata nullam habebat operationem in Inferno: ergo. R. ad 1. (Hic art. 1. ad 3.) quod anima Christi non descenderit ad inferos eo genere motus, quo corpora moventur, sed eo genere motus, quo Angeli moventur.

Ad 2. (In 3. d. 22. quæst. 2. art. 2. quæst. 1.) N. Min. Anima enim Christi, ut instrumentum divinitatis operata est in inferno expellendo tenebras exteriores, & hunc locum illuminando.

Dico 2. (Quæst. 52. art. 1. o.) Conveniens fuit, ut Christus descenderet in Infernum. Primò, (Ibid.) quia homo per peccatum incurrerat non solum mortem corporis, sed etiam descensum ad inferos: ergo, sicut fuit conveniens ipsum mori, ut nos liberaret a morte, ita conveniens fuit eum descendere ad inferos, ut nos ab illo liberaret: cum hoc tamen discrimine, quod mors illi poena fuit, non descensus ad inferos, quia per mortem opus Redemptionis consummatum erat, & supera-bundantèr satisfactum divinæ justitiæ: unde descendendo ad inferos assumptis, quod nobis poena erat, sed non ut poenam sibi, nec sub ratione poenæ.

Observandum semel pro semper, quod, cum dicimus Christum nos liberasse a morte corporis, non est sensus, quod nos liberaverit a necessitate moriendi, morimur enim omnes, sed a necessitate permanendi in morte, quia resurgemus. Et hoc sensu Christus dicitur habere imperium mortis, & mortem moriendò vicisse, juxta illud Osæ 13. Ero mors tua, o mors.

2. (Ibid.) Quia conveniens erat, ut Christus descenderet in Infernum, ut victor diabolo per passionem, victores ejus, qui detinebantur in Inferno, eriperet, secundum illud Zach. 9. Tu quoque in sanguine Testamenti tui emisisti victos tuos de lacu.

3. (Ibid.) Ut, sicut potestatem suam ostendit in terra vivendo, & moriendo, ita etiam potestatem suam ostenderet in inferno ipsum visitando, & illuminando, ut sic in nomine Jesu omne genuflectatur non solum cælestium, sed etiam infernorum. Philipp. 2.

Dico 3. (Ibid.) Christus non descendit in infernum damnatorum secundum presentiam realem. Quia juxta SS. Patres, Hieron. in cap. 4. Ephes. & alios, idem Christus descendit ad inferos, ut eos, qui ibi detinebantur, consolaretur, & liberaret; nullum autem ex inferno damnatorum consolatus est, & liberavit, ut dicam modo. Insuper infernus damnatorum non erat locus conveniens Christo. Descendit ergo in infernum damnatorum secundum effectum tantum, eos arguendo, & convincendo de sua infidelitate, & malitia; idque per modum locutionis, aut manifestationis, quae inter spiritus non impeditur ex distantia loci.

Obj. Dicitur ex ore divinae sapientiae, quae est Christus Ecol. 24. Penetrabo omnes inferiores partes terrae; atqui inter inferiores partes terrae computatur infernus damnatorum: ergo R. (Ibid. art. 2. o.) quod Christus, qui est Dei sapientia, penetravit omnes inferiores partes terrae, non localiter secundum animam omnem circummeando, sed effectum suae potentiae aliqualiter omnes extendendo.

Repones: Ephes. 2. Christus dicitur descendisse ad inferiores partes terrae, hoc est, ad infima terrae, ubi est infernus damnatorum: ergo R. 1. solutione praecedenti. 2. Totus infernus, in quam descendisse Christum agnosimus, licet non in omnes sinus inferni, respectu hujus loci vocatur infimum, & profundissimum.

Inst. Act. 2. Petrus dicit: Quem (Christum) Deus suscitavit solvitis Inferni doloribus, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo; atqui dolores Inferni sunt in Inferno damnatorum: ergo R. 1. In textu Graeco loco Inferni legi Mortis, juxta quem sensus est cum suscitasse Christum, ipsum solvendo a doloribus, seu poena, & miseria mortis, & vitae restituendo. R. 2. (Ibid. ad 1.) retinendo lectionem Vulgatae: Christus solvit dolores Inferni, liberando Patres, non a poena sensus, quam non patiebantur, sed a poena damni, quam patiebantur ex dilatione gloriae. Potest etiam dici, quod solverit aliquas animas Purgatorii a poena, sensus & damni, de quo infra: & hoc sensu intelligendi sunt SS. Patres. Juxta quem distinguenda es minor. Additur: Juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo, vel ab ea: quia juxta divinum decretum Christus non debebat manere in morte, neque in inferno.

Urges: 1. Petri 3. dicitur, quod Christus hic, qui in carcere erant, spiritibus veniens praedicavit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca. Atqui increduli erant in inferno damnatorum poenam damni, & sensus patientes; & illic agi de descensu Christi ad inferos, constat ex cap. seq. ubi dicitur: Mortuis evangelizatum est: Ergo R. In hoc textu sermonem esse de his, qui, ut ait Petrus, fuerant aliquando increduli, sed tamen in infidelitate non permanserant. Noe enim diluvium annuntians, non omnes in sua incredulitate perierunt, sed quidam poenitentes ab incredulitate conversi sunt, licet in poenam inidelitatis prioris aquis Diluvii perierint: & hi erant vel in Limbo Patrum, vel potius in Purgatorio; quia Limbus non dicitur carcer, sed sinus Abrahae. His ergo praedicavit Christus, & evangelizavit nuntiando ipsis, se esse eorum Redemptorem.

Dico 4. (Ibid. ad 2.) Sicut Corpus Christi fuit una die, & duobus noctibus in sepulchro, tantumdem ejus anima mansit in inferno, scilicet usque ad momentum Resurrectionis, ita ut simul anima exiret de inferno, & corpus educeretur de sepulchro. Unde Ecclesia in benedictione Cerei Paschalis cantat: Haec nox est, in qua Christus ab inferis victor ascendit. Atque ita sentiunt Patres, Iren. l. 5. advers. Haer. cap. 31. Nyss. orat. 1.

de Resur. Tertull. lib. de anima cap. 55. & alii.

Dico 5. (Ibid. art. 4. o.) Christus descendens ad inferos liberavit SS. Patres. 1. Exhibendo eis statim a morte sua clarum Divinitatis visionem, qua hucusque privati fuerant, nondum soluto redemptionis nostrae pretio; deinde eos e loco inferni educendo. Et hoc est, quod dicitur Zach. 9. Tu quoque in sanguine Testamenti tui eduisti vincitos tuos de lacu, in quo non erat aqua. Et Coloss. 2. Epistolians principibus & potestates, scilicet infernales, auferendo justos, traduxit eos ad hoc loco tenebrarum in caelum. Consentiant veteres: Tertull. l. de anima c. 55. Aug. hom. 57. Greg. hom. 22. in Ev. Hier. in c. 2. Jonz. Hinc canit Ecclesia: O veri digna hostia, per quam fracta sunt tartara, redempta plebs captivata, reddita vite premia.

Dico 6. (Ibid. art. 5. o.) Christus descendens ad inferos nullum damnatorum liberavit: quia, cum Christus in hoc descensu agere per virtutem suae Passionis, eos solos liberavit, quos Passioni suae conjunctos invenit per fidem charitate informatam: damnati autem vel non habuerunt fidem de Passione Christi, vel illi non fuerunt finaliter conjuncti per charitatem.

Neque refert, quod virtus Passionis Christi nunc se extendat etiam ad eos, qui sunt in peccato. Disparitas est, quod secundum Divinas ordinationes in praesenti vita sit locus conversionis, & transmutationis a culpa ad gratiam, secus post mortem; quia damnati sunt confirmati in malo, sicut beati in bono. Hinc illud: Ubi ceciderit arbor, ibi manebit. Propter eandem rationem (Ibid. art. 6. o.) pueri qui cum originali peccato decesserunt, non fuerunt per Christum liberati.

Dico 7. (Ibid. art. 7. o.) Christus suo descensu ad inferos non liberavit omnes animas a Purgatorio. Prob. (Ibid. art. 8. o.) Descensus Christi ad inferos liberatorius fuit in virtute Passionis; virtus autem Passionis non habuit tunc majorem virtutem, quam nunc habeat. Atqui nunc non liberat omnes animas, quae sunt in Purgatorio, sed tantum eas, vel quae sunt sufficienter purgatae, vel quibus Passio Christi, quae est vultus causa universalis, applicatur per satisfactiones justorum venientium, vel per sacramenta novae Legis ad hoc divinitus instituta. Porro descensus Christi ad inferos neque fuit satisfactorius, neque medium divinitus institutum ad applicandam virtutem suae Passionis omnibus animabus in Purgatorio tunc existentibus. Liberavit ergo dumtaxat eos, qui erant sufficienter purgati, vel etiam, qui dum viverent, meruerunt ex congruentia per fidem, & devotionem ad mortem Christi, ut eo descendente liberarentur.

Dices 1. Eccles. 24. Sapientia dicit: Illuminabo omnes sperantes in Domino. 2. Aug. in Ps. 35. docet, omnes animas electorum per Christi descensum ab inferno esse liberatas. 3. Antiqui Patres, dum loquuntur de justorum liberatione, nullos excipiunt nisi impios: Ergo R. Quosdam propter haec momenta censere, quod, licet descensus Christi per se non liberaverit omnes animas Purgatorii, id tamen tunc praestiterit ex privilegio quasi ex Indulgentia plenaria. Haec sententia non est improbabilis: non cogunt tamen nos ejus momenta recedere a sententia Auctoris. Unde

Ad 1. Per illuminationem non necessario intelligitur absoluta liberatio, sed quaedam consolatio, & novum gaudium de gloria post purificationem statim accipienda. Ad 2. S. Aug. ibi loquitur de animabus in sinu Abrahae existentibus, id est, de justis. Ad 3. Similiter dici potest, antiquos Patres loqui de justis in Limbo, quos nihil a gloria retardaret nisi communis reatus naturae ex peccato originali.

ARTICULUS I.

Utrum necessarium fuerit, Christum resurgere.

Necessarium intellige, non simpliciter, sed ex suppositione divinae ordinationis, Prophetiarum, meritorum Christi, & nostrae utilitatis.

Dico. (Quaest. 53. art. 1. o.) Necessarium fuit Christum resurgere propter 3. rationes in Scripturis fundatas. 1. (Ibid.) Ad commendationem divinae Justitiae, ad quam pertinet exaltare illos, qui se propter Deum humiliant, secundum illud Lucae 1. Deposuit potentias de sede, & exaltavit humiles. Quia igitur Christus propter charitatem, & obedientiam erga Deum se humiliavit usque ad mortem crucis, oportebat ut exaltaretur a Deo usque ad gloriosam Resurrectionem. Unde ex ejus persona dicitur Ps. 138. Tu cognovisti, id est, approbasti sessionem meam, id est, humilitatem, & passionem, & resurrectionem meam, id est, glorificationem in resurrectione, ut exponit Glossa.

2. (Ibid.) Ad fidei nostrae instructionem: quia per Christi resurrectionem propria virtute, & ip signum suae Divinitatis factum, confirmata est fides nostrae circa ejus Divinitatem: ut enim dicitur 2. Cor. ult. Esi crucifixus est in infirmitate: sed vivit in virtute Dei, id est, sua: & ideò 1. Cor. 15. dicitur: Si Christus non resurrexit, inanis est praedicatio nostra, inanis est fides vestra. Non quod fides nostra, etiam si Christus non resurrexisset, absolute loquendo, non potuisset esse vera, & utilis ad salutem; sed supponendo ea, quae praedicta erant de ejus Resurrectione, & quod ipse saepe promiserat se resurrecturam, si revera non resurrexit: falsum docent homines, & eos decipit, ideòque inanis est praedicatio Apostolorum, inanis, & fides nostra, quia utraque falsa. 3. (Ibid.) Ad sublevationem spei nostrae, quia, dum videmus Christum, qui est caput nostrum, resurgere, speramus, & nos resurrecturos: unde dicitur 1. Cor. 15. Si Christus praedicatur, quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? 4. (Ibid.) Ad informationem vite Fidelium, secundum illud Rom. 6. Quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitae ambulemus. Et infra: Christus resurgens ex mortuis jam non moritur. ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo. 5. (Ibid.) Ad complementum nostrae justificationis: quia, sicut per hoc, quod mala sustinuit; humilitatis est moriendo, ut nos liberaret a malis, ita glorificatus est resurgendo, ut nos promoveret ad bona, secundum illud Rom. 4. Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram. Non tamen hoc sensu, quod ejus Resurrectio meruit justificationem nostram; non enim erat opus viatoris; neque quod esset dumtaxat exemplar nostrae justificationis; sed quia, si Christus non resurrexisset, justitiam, quam per passionem nobis promeruerat, non essemus assecuti. Erat enim in divinis Decretis sic ordinatum, ut non daretur Spiritus S. nec mitterentur Apostoli ad praedicandum, neque nobis applicaretur generaliter passionis fructus, nisi post Resurrectionem, juxta illud Lucae 24. Oportebat enim Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die: Et praedicari in nomine ejus poenitentiam, & remissionem peccatorum. Et illud Joan. 7. Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.

ARTICULUS II.

De die, & hora, qua Christus resurrexit.

Christum tertia die a morte sua resurrexisse, indubitata fides est, saepe in Scripturis asserta: utrum autem id sit convenienter factum?

Dico 1. (Ibid. ad 2.) Conveniens fuit, Christum resurgere 3. die. Prob. Resurrectio, (Ibid.) ut dixi Art. praeced. necessaria fuit ad instructionem fidei nostrae; est autem fides nostra de Divinitate, & Humanitate Christi; non enim sufficit alterum sine altero credere. Atqui ad hoc, quod confirmaretur fides de veritate Divinitatis ipsius, oportuit, quod cito resurgeret, & ejus resurrectio non differretur usque ad finem mundi: ad hoc autem, quod confirmaretur fides de veritate humanitatis, & mortis ejus, oportuit mortem esse inter mortem, & resurrectionem; quae enim statim post mortem resurrexisset, videri posset quod ejus mors vera non fuerit, & per consequens nec resurrectio vera: ad veritatem autem mortis manifestandam, sufficiebat, quod usque ad 3. diem ejus resurrectio differretur, quia non contingit, quin infra hoc tempus in homine, qui mortuus videtur, cum vivat, appareant aliqua indicia vitae: Ergo.

Dico 2. (Ibid. ad 3.) Tertia dies, qua Christus resurrexit,

fuit prima hebdomadae, quae apud nos est dies Dominica, diluculo, seu sub aurora. Quantum ad diem, patet 1. Quia, cum ex dictis constet esse mortuum die 6. hebdomadae, & resurrexisse 3. die sequente, consequens est, quod resurrexerit prima die hebdomadae. 2. Quia mulieres, quae dicuntur in Evangelio venisse ipsa praefata die summo mane ad sepulchrum, invenerunt ipsam Resurrectionem factam; dicuntur enim venisse una seu prima Sabbati, id est, prima die hebdomadae; quia nomine Sabbati apud Judaeos non solum significatur septima dies quieti destinata, sed etiam tota hebdomada 7. diebus constans, ut patet ex illo Luc. 18. *Jejuno bis in sabbato*, id est, in hebdomada, impossibile est enim jejunare bis in una die.

Quantum ad horam, Christum resurrexisse diluculo, seu sub aurora, communis est sententia SS. Patrum, Aug. in Enar. 2. Ps. 26. & lib. 4. de Trinit. cap. 6. Hilarij ep. 35. in Matth. Prudentij in Hymno ad galli cantum, S. Thom. hic, & quaest. 51. art. 4. & aliorum Scholasticorum in 3. d. ea. Item est sensus communis Ecclesiae, quae cantat cum S. Ambrosio in Hymno Paschali: *Aurora lucis rutilat... cum Rex ille fortissimus... victor surgit de funere*. Item, & quod praecipuum est, videtur expressum in Scriptura Marci ult. his verbis: *Surgens autem mane prima sabbati*: Graecè *Cum surrexisset mane*. Adde, quod, si resurrexisset ante illudocentem diem, non fuisset 3. diebus, & 3. noctibus in corde terrae, ut dicitur Matth. 12. Quando ergo S. Hieron. quaest. 6. ad Hebridos dicit, Christum resurrexisse hora qua ipse voluit, & quae nulli mortalium est cognita, intelligendus est de instanti Resurrectionis, aurora enim decurrit per plura instantia.

Obj. 1. Matth. 28. dicit, mulieres venisse ad sepulchrum vespere Sabbati: ergo non post Sabbatum. R. Per vespere Sabbati apud Matth. intelligi ipsam noctem, quae sequitur Sabbatum: apud Hebraeos enim saepe tota nox vocatur *Vespera*, totus dies, mane, ut patet Genes. 1. *Factus est vespere, & mane dies primus*. Sensus ergo Matthaei, qui alludit ad duplex Sabbatum, de quo supra, est: *Vespera*, seu nocte sequente Sabbatum, quae lucescit in prima Sabbati seu prima die hebdomadae, conformiter ad textum Graecum, in quo sic legitur: *Tarda post sabbatum ea die, quae lucescit in primam Sabbati*.

Obj. 2. Joannes 20. dicit, Mariam Magdalenam venisse ad sepulchrum, cum adhuc tenebrae essent: ergo non diluculo, seu sub aurora. R. N. Conseq. 1. Quia juxta Aug. lib. 3. de consensu Evang. in diluculo, cum dies incipit tantum illucescere, nondum omnino sunt expulsae tenebrae, & sic potest dici; cum adhuc tenebrae essent. 2. Quia juxta eundem ibid. mulieres egressae sunt de domibus suis, cum adhuc tenebrae essent, sed quia hortus, in quo sepultus jacebat Christus, erat extra Civitatem situs ad occidentem, ad illum non pervenerunt, nisi orto jam sole, ut dicit Marcus 16. (Ibid.) Intellige tamen ortum solem, non de corpore solis super Horizontem, sed de primis radiis tenebras depellere incipientibus.

Quomodo autem Christus, si surrexerit 3. die summo mane, manserit 3. diebus, & 3. noctibus in sepulchro, ut dicitur Matth. 12. diximus Diss. praeced. art. 2. in fine.

ARTICULUS III.

De Christo primo omnium resurgente, & aliis cum ipso resurgentibus.

Dico 1. (Ibid. art. 3. o.) Quamvis plures ante Christum resurrexerint resurrectione imperfecta, quae est liberatio a morte actuali tantum; ipse tamen primus omnium resurrexit resurrectione perfecta, quae est liberatio non solum a morte actuali, sed etiam a necessitate, & quod plus est, a possibilitate moriendi; resurrexit enim ad vitam immortalem. Unde 1. Cor. 15. dicitur: *Christus resurrexit primitia dormientium*. Coloss. 1. *Qui est principium, primogenitus ex mortuis*. Apocal. 1. *Primogenitus mortuorum*.

Quantum ad 2. partem tituli, Matthaeus cap. 27. postquam significavit, Christum in cruce animam egisse, inter varia prodigia, quae tunc contigisse narrat, dicit: *Et monumenta aperta sunt: & multa corpora sanctorum, quae dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis*. Ubi Evangelista occasione apertionis monumentorum, quae contigit Christo moriente ex terrae motu, ponit per anticipationem resurrectionem mortuorum ante Resurrectionem Christi, cum tamen nonnisi post illam aut cum illa facta sit, ut patet ex eo, quod subjungit: *Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, apparuerunt multis*. Abardum enim foret dicere, eos triduo vivos mansisse in sepulchris sive clausis, sive apertis. Item cum finis resurrectionis eorum esset, ut apparendo hominibus Christi Resurrectionem testarentur, si non apparuerant nisi post

DISSERTATIO XII. DE RESURRECTIONE CHRISTI.

Div. Thom. QQ. 53. 54. & 55.

Ante omnia observandum est, Resurrectionem Christi fuisse pluries in veteri Testamento praenuntiata verbis, & factis. Verbis Gen. 49. de Juda dicitur: *Requiescens accubasti ut leo, & quasi leona; quis suscitabit eum?* Quod de Resurrectione Christi interpretatur Ambros. l. de Bened. Patriarch. cap. 4. Aug. l. 12. cont. Faust. cap. 48. & alii. Ps. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Quibus verbis utitur Paulus Act. 13. ad probandam Resurrectionem Christi Ps. 15. *Non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Quod tam ipse Paulus ibid. quam Petrus Ac. 2. intelligunt de Resurrectione Christi. Sophoniae 3. *Expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meae in futurum*.

Quod Aug. l. 18. de Civit. cap. 33. interpretatur pariter de Resurrectione Christi. Osee 6. *In die tertia suscitabit nos*: quod item Aug. ibid. cap. 28. Bernard. Serm. 1. de Resur. Tertull. contra Judaeos interpretantur de Resurrectione Christi.

Factis: Plura enim figurate gesta sunt in praenuntiationem Resurrectionis Christi futurae: ut in Isaac immolando, & tamen servato; in Joseph educto de carcere 3. anno, de quibus Prosper lib. 1. Praedictionum cap. 17. & 29. in Jona 3. die de ventre Ceti prodente, quod suae Sepulturae, & Resurrectionis tertia die fuisse figuram, restatur ipse Christus Matth. 12. & 16. Hinc Apost. 1. Cor. 15. jure dicit: *Christus resurrexit tertia die secundum scripturas*.

post Christi Resurrectionem, nec ante illam resurrexerunt.

Quinam autem fuerint Sancti, qui cum Christo resurrexerunt, non dicit Scriptura: sed verisimile est, ut tenet communior opinio, fuisse illos, qui speciale respectum habuerunt ad Christum, fuerantque illustiores eius figure, ut Abraham, Isaac, Jacob, Moyses, David, Melchisedech, &c. & etiam nonnullos recens defunctos, ut Zachariam, Joannem Bapt. Simeonem, &c. quia, cum hi essent Judæis noti, aptiores erant, ut testarentur illis Christum resurrexisse, & ipsum esse suæ resurrectionis auctorem.

Verum gravior difficultas est, utrum ad vitam immortalem resurrexerint, & ascendente Christo in cœlum, ipsi etiam cum suis corporibus in cœlum ascenderint: an e contra iterum mortui sint, & ad sepulchra sua redierint communem resurrectionem expectaturi. Primam sententiam tenent S. Ignat. Ep. ad Magnesianos, Orig. in cap. 27. Matth. Euseb. libr. 4. Demonstr. Evang. cap. 12. Ambros. sup. Luc. & alii. Secundam amplectuntur S. Aug. Ep. 99. ad Evod. Chrysost. hom. 28. in Ep. ad Hebr. Theodoret. cap. 11. ejusdem Ep. S. Greg. Mag. libr. 1. Moral. in Job, S. Thom. hic art. 3. ad 2. quamvis junior oppositum tenuerit in 4. d. 47. art. 3. Hinc secunde sententiæ aliquot mibi probabiliori subscribens.

Dico 2. (*Ibid. ad 2.*) Qui cum Christo resurrexerunt, iterum mortui sunt, & ad sua sepulchra redierunt secundo resurrecturi in fine mundi. Prob. 1. Apost. Hebr. 11. dicit, Justos veteris Testamenti non consecutos consummatam felicitatem, quæ in glorificatione animæ, & corporis sita est, nisi nobiscum, seu cum communi cœtu Fidelium in generali resurrectione: *Hi omnes, inquit, testimonio fidei probati, non acceperunt reprobationem, Deo pro nobis aliquid melius providente, ut non sine nobis consummarentur.*

Respondet 1. Sylvius, id verum esse communitè, & salvo privilegio. Sed contra: Omnino gratis, & absque ullo fundamento fingitur huiusmodi privilegium pro his, qui surrexerunt cum Christo, imò contra dictum Apostoli. etenim inter eos, qui surrexerunt cum Christo, verisimillimum est, ut diximus, fuisse Abraham, Isaac, Jacob, Moysen, Davidem, &c. & tamen illis non fuisse concessum privilegium consummate felicitatis ante generalem resurrectionem expressè tradit Apost. dicens: *Et hi omnes: quos scilicet nominavit in toto capite (nominavit autem Abraham, Isaac, Jacob, Moysen, Davidem, &c.) non acceperunt reprobationem.*

Respondet 2. Apostolum posse intelligi de sola gloria animæ, quam Patres antiqui non acceperunt sine nobis, id est, ante statum novæ Legis. Sed contra: Apost. loquitur de felicitate consummata, non sine nobis consummarentur: felicitas autem consummata in glorificatione corporis, simul & animæ sita est.

Prob. 2. (*Ibid.*) Davidem fuisse de numero justorum, qui cum Christo resurrexerunt, jam dictum est: at adhuc ipsum fuisse in sepulchro post Ascensionem Domini constat ex Apostolo Petro, qui Act. 2. die Pentecostes Judæis probat hæc verba Ps. 15. *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem, de Davide non esse dicta, quoniam, inquit, defunctus est, & sepultus: & sepulchrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem.* Quæ ratio nihil probaret, nisi intelligatur continens cum contento, id est, sepulchrum, in quo tunc esset corpus Davidis jam corruptum.

Respondet Sylvius, quod sepulchrum, quod jam diu continuerat corpus Davidis, esset sufficiens argumentum corruptionis illius: etiamsi forte cum Apost. Petrus illa diceret, non tunc illud contineret. Sed contra 1. (*Ibid.*) Si corpus Davidis non erat tunc in sepulchro, nihil evincebat Petrus; quia, etsi David statim a morte surrexisset, & caro ejus non vidisset corruptionem, posset nihilominus illud monumentum manere. 2. Si sepulchrum vacuum Davidis esset sufficiens argumentum ejus corruptionis, quia illud continuerat, pariter sepulchrum Christi vacuum, quod erat tunc apud Judæos, & est adhuc in terra, esset sufficiens argumentum corruptionis illius, & retorqueretur potuissent Judæi in Petrum dicendo. Ergo de illo dictum non est: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.*

Prob. 3. Inter eos, qui suscitati sunt cum Christo, fuit indubie Joannes Bapt. Atqui caput ejus servatur Romæ: ergo. 4. Communis sensus Fidelium est, neminem præter Christum, & B. Virginem cum corpore caelos ascendisse.

Obj. cum laudato Sylvio 1. Sancti, qui cum Christo resurrexerunt, non convixerunt cum aliis hominibus, nec omnibus apparuerunt, sed aliquibus tantum, quod est proprium corporum gloriosorum. 2. Surrexerunt in testimonium Resurrectionis Christi, quæ fuit ad vitam immortalem. 3. Conaturalis est animæ beatæ uniti corpori immortalis. 4. Nullum alioquin est collatum fuisse beneficium, sed potius poena: Ergo. R. ad 1. Sanctos, qui resurrexerunt cum Christo, non convixisse cum aliis, quia ad hoc non fuerunt suscitati, sed dimittaxat,

ut essent testes Resurrectionis Christi: non apparuerunt omnibus, quia non omnibus se conspicuos exhibuerunt. Ceterum esto inde inferretur, quibusdam corporum gloriosorum qualitatibus fuisse ex speciali privilegio donatos, has habuerunt non per modum habitus permanentis, sed per modum dispositionis transeuntis, qualiter habuit Moyses in Transfiguratione.

Ad 2. Fuerunt sufficientes testes Resurrectionis Christi per suam resurrectionem realem, nec ad hoc erat necesse, ut parum cum Christo immortalitatem consequerentur. Ad 3. Conaturalis est animæ beatæ in omnibus subiecti divinæ ordinationi, & uniti corpori, quomodo, & quando ipsi placuerit. Ad 4. Resurrectio Sanctorum facta est non tam in illorum gratiam, quam in gratiam Resurrectionis Christi. Neque secunda mors illis fuit poena, quia contigit sine ulla vi, & sine ullo dolore, sed simplici separatione animæ à corpore.

Petes, utrum Christus fuerit causa suæ Resurrectionis? R. (*Ibid. art. 4. o.*) Christus secundum Divinitatem fuit causa efficiens principalis suæ Resurrectionis; instrumentalis autem secundum humanitatem, seu quatenus anima, & corpus erant instrumentum Divinitatis; causa denique meritoria fuit per suam passionem.

ARTICULUS IV.

De Qualitate Christi resurgentis.

Quatuor hic occurrunt expendenda. 1. an Christus resurgendo verum, & idem corpus resumpsit? 2. an integrum? 3. an gloriosum? 4. an cum cicatricibus? Pro quorum resolutione.

Dico 1. (*Quest. 54. art. 1. o.*) Christus resurgendo verum, & idem corpus resumpsit, alioquin non fuisset vera resurrectio; illud enim resurgere dicitur, quod cecidit: corpus autem Christi per mortem cecidit, quatenus anima, quæ erat formæ ejus perfectio, fuit ab eo separata: ergo ut esset vera ejus resurrectio, oportuit, ut verum, & idem corpus iteratò eidem animæ uniretur.

Dices 1. Verum corpus non potest esse simul cum alio corpore in eodem loco; atqui corpus Christi post resurrectionem fuit simul cum alio corpore in eodem loco, dum intravit ad Discipulos januis clausis, Joann. 20. Ergo. 2. Verum corpus ab oculis intuentium non evanescit, nisi forte corrumpatur, quod tamen contigit Christo, Luc. ult. 5. Cujuslibet veri corporis est determinata figura; sed corpus Christi apparuit Discipulis in alia effigie, Marci ult. Ergo.

R. Ad 1. (*Ibid. ad 1.*) penetrationem hanc factam fuisse miraculosè virtute divinitatis unitæ, quæ, servata quantitate, potest ab ea separare ejus proprietatem, qualis est impenetrabilitas. Ad 2. (*Ibid. ad 2.*) Hæc est dispositio corporis gloriosi, quale habuit Christus, sicut mox dicam, ut sit omnino subiectum spiritui, ita ut omnis actio corporis subdatur spiritus voluntati. Quod autem aliquis videatur, fit per actionem visibilibus in visum; & ideo quicumque habet corpus gloriosum, in potestate sua habet videri, quando vult, & non videri, quando non vult. Hoc tamen habuit Christus non solum ex conditione corporis gloriosi, sed etiam ex virtute Divinitatis, per quam fieri potest, ut corpora etiam non gloriosa miraculosè non videantur. Dicitur ergo, quod Christus ab oculis Discipulorum evanuit, non quod corrumpere, aut resolveretur in aliqua invisibilia, sed quia sua voluntate desit ab eis videri, sive præsens, sive abscedens velociter per dotem agilitatis. Ad 3. (*Ibid. ad 3.*) Christus in resurrectione nullatenus mutavit vultus effigiem, quantum scilicet ad lineamenta, nihil enim in ipso inordinatum erat; sed sicut in potestate ejus erat, ut corpus suum videretur, vel non videretur, ita in potestate ejus erat, ut ex ejus aspectu formaretur in oculis intuentium vel forma gloriosa, vel non gloriosa, vel commixta, vel qualitercumque se habens. Adde, quod modica differentia sufficiat ad hoc, quod aliquis videatur in alia effigie apparere.

Dico 2. (*Ibid. art. 2. o.*) Corpus Christi resurrexit integrum: quia fuit ejusdem nature in resurrectione, ac erat ante mortem, ut dixi superius, licet alterius gloriæ: unde, quidquid ad naturam corporis humani pertinet, ut sunt ossa, carnes, sanguis, & alia hujusmodi, totum fuit in corpore Christi resurgentis. Specialis est difficultas de sanguine, an totum, qui effusus est in passione, resumpsit? Pro quo vide Tract. de Incarnat. Diss. 7. art. 2. Concl. 3. præsertim obj. 2. ubi resolvimus, resumpsisse totum sanguinem, moraliter loquendo de sanguine, qui sit necessarius ad integritatem corporis, non physice loquendo de quibusdam minimis particulis sanguinis, sine quibus stat integrum corpus. Altera difficultas est de præputio, an illud resumpsit? Respondi negativè in præsentis Tract. Diss. 5. art. 7. Vide.

Dico 3. (*Ibid. art. 3. o.*) Corpus Christi resurrexit gloriosum. Antè probationem notandum, corporis gloriosi quatuor qua-

ARTICULUS V.

De Manifestatione Resurrectionis.

Veritur hic in questionem 1. Utrum Christus debuerit per se manifestare suam Resurrectionem omni populo, & non tantum aliquibus: legimus enim Act. 10. quod se manifestaverit non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo. 2. Utrum fuisset conveniens, quod discipulis videntibus resurgeret? 3. Cui primò apparuerit? 4. Utrum post Resurrectionem debuerit continuo conversari cum illis? Sequuntur quædam Questiones. Dico 1. (*Quest. 55. art. 1. o.*) Christus post Resurrectionem non debuit se omnibus promiscuè manifestum exhibere: quia quæ sunt supernaturalia, & excedunt lumen humanum, nec nisi lumine gratiæ cognoscuntur, qualis fuit Resurrectio Christi, non solent omnibus revelari, sed aliquibus tantum, per quos deinde aliis manifestentur.

Simili ferè ratione (*Ibid. art. 2. o.*) non debuit resurgere Discipulis videntibus: quia secundum ordinem à Deo institutum, quæ supra naturam sunt, demumtiori solent manifestari per Angelos. Dixi solent, quia aliter aliquando fit; nec dubium est, Apostolos plura circa Mystera Trinitatis, Incarnationis, & alia accepisse immediate à Christo, vel à Spiritu S.

Si petas, utrum ipsi custodes saltem viderint Christum resurgere? R. negativè, tum ex ratione data, tum quia ex Scriptura. 1. Magdalene apparuit, ut dicam modo: tum quia custodes dicuntur exterriti, non visione Christi resurgentis, sed Angeli descendentes de cœlo, terram concidentis, & lapidem revolventis ad ostendendum sepulchrum vacuum mulieribus. Et esto, fuerint tunc vigiles custodes, in potestate gloriosi corporis Christi erat se exhibere videndum, cui vellent.

Dico 2. Pia, & probabilis est sententiæ, quæ dicit Christum a mortuis resurgentem 1. apparuisse B. V. Mariæ sicut. Ita docent Rupert. Abbas, Albertus M. S. Bonavent. & plures Recentiores: atque ita statet pius Fili in amantissimum Matrem affectus. Ad id, quod opponitur ex Marc. 16. *Surgebat mane prima Sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalene* respondetur, 10. Primò non significare prioritatem absolutam, sed secundum quid, scilicet primò inter Discipulos, testes, & nuntios Resurrectionis; vel primò inter apparitiones ab Evangelistis relatas.

Dico 3. Equè ad minus probabile est, Christum resurgentem 1. apparuisse M. Magdalene, Quia 10. primò in textu Marci simpliciter positum videtur secundum sensum obvium importare prioritatem absolutam. Unde Ecclesia in officio S. M. Magdalene cantat: *Celsi meriti Maria, quæ solem verum resurgentem videre meruisti mortuorum prima*

Conf. 1. ex SS. Patribus, Aug. Cyrillo, Beda, & aliis, quod dum apparitionem Christi ordinem, & numerum recensent, primam omnium Magdalene factam constantè ponunt, 2. ex silentio Evangelistarum circa istam apparitionem factam B. Virginis.

Hæc tamen duo non multum argent. Ad 1. enim responderi potest, Patres loqui tantum de apparitionibus recensitis ab Evangelistis Ad 2. Evangelistas non recensuisse omnes Christi apparitiones, ut patet ex 1. Cor. 15. & mox dicam.

Dico 4. (*Ibid. art. 3. o.*) Christus post suam Resurrectionem non debuit continue conversari cum Discipulis. Quia (*Ibid.*) circa Resurrectionem Christi duo erant Discipulis declaranda, scilicet ipsa veritas Resurrectionis, & gloria Resurgentis. Ad veritatem autem Resurrectionis sufficiebat, quod plurius eis apparuerit, cum eis familiariter conversatus fuerit, comederit, biberit, & se illis palpandum exhibuerit. Ad gloriam Resurgentis manifestandam non conveniebat, ut continue cum eis conversaretur, sicut prius fecerat, ne videretur ad talem vitam resurrexisse, qualem prius habuerat, scilicet mortalem. Unde Luc. ult. dicit eis: *Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum essem adhuc vobiscum, id est, cum essem adhuc in carne mortali, in qua estis vos.*

Petes 1. Quot fuerint Christi apparitiones? (*Ibid. ad 3.*) decem referri ab Evangelistis, juxta observationem Aug. lib. 3. de consensu Evang. in fine: quinque ipsæ die Resurrectionis, alias postea. 1. itaque facta est Magdalene, Marci ult. & Joann. 20. 2. mulieribus & sepulchro redeuntibus, Matth. 28. 3. Petro; duobus enim Discipulis redeuntibus ex Emmaus, dixerunt illi simul congregati: *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simon, Luc. ult. 4. Discipulis euntibus in Emmaus, Luc. ult. 5. cum Dominus intravit ad Discipulos januis clausis, absente Thoma, Luc. 24. Joann. 20. 6. die octava iterum Discipulis presentibus Thoma, Joann. 20. 7. ad mare Tiberidis, Joann. 21. qui vocat eam tertiam, scilicet ex his, quæ factæ fuerant pluribus Discipulis simul; vel tertiam inter eas, quæ ipse recensuit, 8. undecim Discipulis in monte Galilee, ubi constituerat illis Je-*

sus, Matth. 28. 9. novissime recumbentibus undecim Apostolis Jerusolymis, Marci ult. 10. denique ipsa die Ascensionis in monte Oliveti prope Bethaniam, Luc. 24. & Act. 1.

Circa nonam difficultas est. Plures enim volunt, hanc apparitionem fuisse ultimam ex his, quae factae sunt die Resurrectionis, proinde quintam, idque videtur innui in textu; postquam enim Marcus narravit apparitionem factam Magdalene, & duobus Discipulis euntibus in Emmaus, quibus ceteri non crediderunt, immediate subjungit: Novissime: graece, postea, recumbentibus illis undecim apparuit, & exprobravit incredulitatem eorum, &c. Neque verisimile est, Christum ipso suae Ascensionis die exprobrasse incredulitatem Apostolis, quia jandiu antea crederant. Neque obstat, tunc non fuisse undecim Apostolos, sed decem tantum; Thomas enim aberat, ut dictum est, & etiam adfuisse alios ex Discipulis, quia a nobilitate parte concessus vocabatur undecim virorum, eo quod post Judae discessionem collegium Apostolorum tunc constabat capitibus. Juxta hanc Sententiam non improbabile erunt tantum novem apparitiones ab Evangelistis relatae.

Petes 2. Ubi Christus esset extra tempus harum 10. apparitionum? R. verisimiliter fuisse aliquando cum dilectissima Matre, aliquando cum Patribus, quos aeterna beatitudine donaverat (Ibid.), certo autem aliquando cum Discipulis. Praeter enim has 10. apparitiones ab Evangelistis recensitas, plures alias factae esse ipsis Discipulis ad eorum consolationem, & instructionem, constat partim, ut jam dixi, ex Apost. 1. Cor. 15. ubi refert apparitionem factam 500. Fratribus simul, deinde Jacobo, de quibus tamen nulla est mentio apud Evangelistas: partim ex illo Act. 1. Per dies 40. apparens eis, & loquens de Regno Dei: id est, de rebus Ecclesiam spectantibus: non enim omnia scripta sunt, inquit Actor ex Joanne.

Petes 3. Quis sensus horum verborum Christi ad Magdalenam Joann. 20. Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem: eum tamen paulo post permisit se tangi a mulieribus redeuntibus e sepulchro, & probabiliter a Magdalena, quae forte in reditu eas attigerat. R. sensum litteralem horum verborum esse hunc: Ne nunc moreris in mei amplexu, & pedum osculis, sed vade cito, & nuntia fratribus meis meam resurrectionem, erit tibi postea sufficiens tempus satisfaciendi tuo desiderio; Nondum enim ascendi, pro ascendo, ad Patrem. Id est, non decrevi tunc cito ascendere ad Patrem, & a vobis discedere. Permisit autem paulo post aliis mulieribus illum tangere, sed breviter, & non morando, sicut volebat facere Magdalena praesui amoris fervore, & secundum quod antea consueverat.

Petes 4. Quoties Magdalena, & aliae mulieres accesserint ad sepulchrum? R. bis accessisse. In 1. accessu non viderant Christum, sed Angelos tantum, qui dixerant eis illum resurrexisse, atque id nuntiarent Discipulis, quod & fecerunt, Luc. 24. v. 9. 10. & 23. In 2. accessu viderunt Christum, Magdalena prope sepulchrum, aliae mulieres in via, dum redirent e sepulchro, qui pariter dixit eis, ut id nuntiarent fratribus suis, quod etiam fecerunt, Joann. 20. Marci 16. v. 10. Matth. 28. v. 10.

ARTICULUS VI.

De veritate Resurrectionis Dominicae.

Dico 1. (Ibid. art. 6. o. & ad 2.) Christus variis testimoniis, & argumentis, seu signis sensibilibus sufficienter probavit veritatem suae Resurrectionis. Prob. (Ibid.) Christus veritatem suae Resurrectionis probavit, 1. testimonio Scripturarum, Luc. ult. 2. testimonio Angelorum, 3. se oculis discipulorum corporaliter praesentem exhibendo in eadem effigie, conversantem, manducantem, bibentem cum illis, seque ab eis palpandum cum suis cicatricibus praebendo. 4. asserendo seipsum esse, atque hanc assertionem miraculis confirmando. 5. ingressu ad eos januis clausis, subitaneo discessu ab eorum oculis, stupenda captura piscium, ascensione sua in caelum, &c. Adde alia miracula, quae tempore vitae fecit in assertionem suae doctrinae, cuius caput erat resurrectio futura.

Dices: Angeli saepe apparuerunt hominibus in specie humana, atque cum illis conversati sunt, manducaverunt, & biberunt, & tamen non erant veri homines: ergo apparitiones Christi insufficienter probant ejus resurrectionem. R. (Ibid. ad 1.) Quamvis apparitiones Christi scorsim sumptae non sufficerent ad probandum veritatem Resurrectionis, sufficienti tamen junctae aliis argumentis, scilicet testimonio Scripturarum, & Angelorum, atque assertioni Christi miraculis confirmatae, & Angelorum miracula sint a Deo, repugnant ejus veritati, & bonitati facere miracula in assertionem falsi, ex quo homines invincibiliter in errorem inducerentur. Porro Angeli, qui apparuerunt in effigie humana, non asseruerunt se esse veros homines; & si asseruissent, non sunt patrata miracula, ut hoc crederetur.

Dico 2. Veritas Resurrectionis Christi invictissime probatur testimonio Apostolorum. In primis Act. 2. ipsa die Pentecostes Petrus in medio Jerusalem toti plebi annuntiat Resurrectionem Christi, qua una praedicatione convertuntur ad Christum 3000. Judaeorum. Paulo post Act. 3. & 4. pariter in medio Jerusalem praedicat cum Joanne Christum resurrexisse: hujus facti se testes asserunt; & in hujus assertionis veritatem insigne miraculum addunt, sanando claudum ex utero matris, qui quotidie sedebat ad portam Templi, ut peteret elemosinam, atque inde convertuntur 3000. virorum. Stant coram Principibus Sacerdotum, Saducais, & Phariseis; a quibus interrogati qua virtute, aut quo nomine istud miraculum fecerint, respondit Petrus se fecisse in nomine Jesu-Christi, quem, inquit, vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis. Prohibent ipsis Sacerdotes, & Magistratus, ne ultra loquerentur, neque docerent in nomine Jesu. Petrus vero, & Joannes respondentes dixerunt ad eos: Si justum est in conspectu Dei, vos potius audire, quam Deum, judicate: non enim possumus, quae vidimus, & audivimus, non loqui. At illi comminantes dimiserunt eos.

Quid huic testimonio opponere potest humana ratio? Resumamus singula. 1. Ad unam Petri praedicationem publicam, quod Christus resurrexerit, convertuntur 3000. Judaeorum, ad alteram 5000. qua virtute, nisi divina? Vera ergo praedicabat Petrus. 2. Qua iterum virtute sanatus est claudus ex utero matris in confirmationem praedicationis Petri? Non diabolica, Diabolus enim non potest facere vera miracula; & esto posset, non faceret in destructionem sui imperii, ipsius autem maxime intererat, ut non crederetur, Christum resurrexisse: ergo virtute divina: Deus autem non facit miracula in assertionem falsi, ut jam dixi. 3. Quare Principes, & Magistratus non arguerunt Apostolos falsi, obijcientes, quod ipsemet furati sint corpus Jesu, ut jusserant antea publicari per custodes? Quare eos non cogunt istud corpus reddere? Hoc solo res confecta fuisset, & impostura Apostolorum palam declarata. 4. Tandem quo motivo Apostoli, antea tremuli, oculi propter metum Judaeorum, nunc sub periculo vitae suae toti plebi resurrectionem Christi annuntiant, & coram Magistratibus constanter asserunt, indictum de ea re silentium contemnunt, si sciant revera Christum non resurrexisse.

2. Matthaeus suum Evangelium, & in eo historiam mortis, & resurrectionis Christi scripsit octavo circiter anno post mortem Christi, adjunctis pluribus factis publicis, ut, quod moriente Christo velum Templi sit scissum, quod terra tremuerit, petrae scissae, monumenta aperta, quod post resurrectionem corpora defunctorum pluribus apparuerint, quod Sacerdotes, & Magistratus signassent ostium sepulchri, & munierint custodibus, quos postea induxerunt munerata pecunia, ut testarentur, ipsis dormientibus corpus Christi ab ejus Discipulis fuisse sublatum. Haec, inquam, facta publica, & toti Jerusolymae nota, narrat Matthaeus, quando vivebant adhuc innumeri testes oculati, & auriti, qui, si falsa dixisset, ex templo ipsum mendacium arguisent, & tamen nemo illi tunc contradixit; aut certe profuerat Auctor hujus aetatis, quod constat, ipsi, & alii Evangelistis eadem narratibus ab aliquo fuisse contradicendum.

3. Cum certum sit, corpus Christi in sepulchro revoluta lapide tertia die non fuisse inventum, fatendum est, vel ipsum resurrexisse, vel ab aliquibus fuisse furum sublatum. Hoc secundum dici non potest, cum Principes Judaeorum omnem curam adhiberent, ne posset auferri, obviantes scilicet ostium sepulchri, & apponentes illi milites custodes. At, inquit, Discipuli Jesu illud furum sustulerunt, custodibus dormientibus (id enim, ut testarentur custodes, dederunt Principes illis pecuniam, ut jam dixi.) Verum hoc putidum figmentum aperte refutant sequentia. 1. Dormientes testes adhibent, quod risu potius, quam seria refutatione dignum est: quomodo enim rescire poterunt, quod ipsis dormientibus factum est? 2. Post vulgaram Christi resurrectionem Apostoli adhuc diu manserunt Jerusolymis: si sustulerant corpus Jesu, quare Principes Judaeorum ab illis illud non repeterunt, & spectandum populo non proposuerunt? hoc enim solo facto famam de Christi resurrectione penitus abolevisset. 3. Quis credat, Apostolos viros simplicis, rudes, meticulosos, & ad vocem ancillae trepidantes, a viros fuisse surripere corpus Jesu praesentibus custodibus, quos, etiam si supponas dormientes, levissimum murmur excitare potuisset, non poterat autem sine gravi strepitu revolvi magnus lapis ab ostio monumenti. Si dicas, Apostolos cuniculos subterraneos egisse, & terra suffossa corpus Christi ab ima parte sepulchri surripuisse, ad quod non attenderent custodes; contra est, quod sepulchrum non in terra, sed in rupe fuerit excisum. Impossibile autem erat absque immenso labore, magno strepitu, & longissimo tempore rupem ab imo scindere, sic ut per scissuram extraheretur corpus. Et dato id fieri potuisse, non excitatis custodibus, remansissent in scissa rupe furti indicia, quae nulla arte, neque terra ingressa, neque insertis ladicibus potuis-

sent

DE MYSTERIIS CHRISTI.

sent explorationi Judaeorum subdici; sicque aperte fraudem Discipulorum cognovissent, nec fabulam de custodibus dormientibus excogitarent. Insuper dicant, quis revolvit lapidem magnum ab ostio monumenti? viderant enim custodes revolutum lapidem, viderant Angelos stantes ad sepulchrum, quorum aspectu terrore fugerunt, atque totum factum, ac vacuum sepulchrum Magistratibus denuntiarent. Porro ut quid opus erat agere cuniculos subterraneos ab ima parte sepulchri, cum superius esset omnino apertum?

4. Tandem, dato, quod omnino incredibile est, Apostolos potuisse quovis modo surripere corpus Christi, quis credat eos id voluisse? Quo enim motivo induci fuissent, ut absque ulla spe praemii fingerent atrocissimum mendacium resurrectionis, quo toti generi humano illuderent, & Judaeorum odium in se concitarent, illudque cum famae, honorum, & vitae periculo sustinerent? Is sane insanes fuisse credat, qui eos id attentasse credit. Concludamus igitur cum Aug. contra Judaeos: Aut sepulchrum reddant, aut resurgentem nobiscum adorent.

Petes, utrum Resurrectio Christi sit causa nostrae resurrectionis? R. (Q. 56. art. 1. & 2. o.) esse causam efficientem instrumentalem, & exemplarem resurrectionis nostrorum corporum, & nostrarum animarum. Est causa efficiens, (Ibid. art. 1. ad 3.) non ut est actus, qui statim transit, sed in quantum humanitas secundum quam Christus resurrexit, est instrumentum Divinitatis conjunctae ad suscitanda corpora nostra, & justificandas nostras animas. Est autem causa exemplaris, (Ibid. art. 1. & 2.) quatenus corpore, & anima conformatur Christo resurgenti.

DISSERTATIO XIII.

DE ASCENSIONE CHRISTI, ET MISSIONE SPIRITUS SANCTI.

Div. Thom. QQ. 57. & 58.

ARTICULUS I.

De Ascensione Christi secundum se.

Supposita fide de ascensu Christi in caelum, de quo pluries Scriptura, subjicitur examini, 1. Utrum conveniens fuerit, Christum ascendere in caelum? 2. Cur post 40. dies? 3. Qua virtute ascenderit? 4. Quis fuerit terminus ascensus? 5. Qui effectus, & fructus illius?

Dico 1. (Quest. 57. art. 1. o. & ad 3.) Conveniens fuit, Christum ascendere in caelum. 1. Quia locus debet esse proportionatus locato: caelum autem est locus incorruptionis, terra generationis, & corruptionis; atqui Christus post resurrectionem habebat corpus incorruptibile: ergo. 2. Quia mortis, & inferorum Victori, ac Triumphatori haec Sedes Regia debebatur. 3. Ad augmentum fidei, quae est de non visis; ad sublevationem spei, quia per hoc quod Christus ut caput nostrum ascendit in caelum, dedit nobis, ut suis membris, spem illuc perveniendi; unde ipse dicit: Vado parare vobis locum. Item ad incrementum affectus charitatis in coelestia: unde Apost. Coloss. 3. Quae sursum sunt querite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quae sursum non capite, non quae super terram. 4. Ut ostenderet, doctrinam suam non esse terrenam, sed coelestem; Regnum suum non esse temporarium, sed aeternum; & ut, mittendo Spiritum S. doctrinae suae confirmationem, probaret eum ab ipso procedere. Confer. concl. 5.

Dico 2. (Ibid. ad 4.) Christus convenienter ascendit in caelum post 40. dies a Resurrectione. 1. Ut efficacius probaret veritatem Resurrectionis. 2. Ut absentiam 40. horarum, qua moriendo Discipulis afflixerat, praesentia 40. dierum compensaret; ab hora enim 9. feriae sextae, qua mortuus est Christus, ad auroram diei Dominicae, qua resurrexit, numeramus 40. circiter horas. 3. Ut, sicut Deus Moysi post transitum maris rubri se visendum exhibuit per 40. dies, ut ipsum deysteris Legis instrueret, sic Christus post transitum maris suae Passionis voluit se per 40. dies visendum exhibere Apostolis, ut ipsos de dogmatibus, Sacramentis, sacris ritibus, de quibus silet Evangelium, instrueret. Unde Act. 1. dicitur: Per 40. dies apparens eis, & loquens de Regno Dei, id est, de rebus ad Ecclesiam pertinentibus.

Dico 3. (Ibid. art. 3. o.) Christus ascendit propria virtute. 1. divina, quia est verus Deus. 2. virtute animae moventis, proit vult, corpus glorificatum, & dote agilitatis praeditum.

Dices: Marci ult. dicitur, quod Dominus Jesus postquam locutus est Discipulis, assumptus est in caelum. Et Act. 1. Videntibus illis, elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum; atqui quod assumitur, & elevatur, ab alio videtur moveri: ergo. R. (Ibid. ad 1.) quod, sicut Christus dicitur propria virtute resurrexisse, & tamen est suscitatus a Patre, eo quod eadem sit virtus Patris, & Filii; ita etiam Christus propria virtute ascendit in caelum, & tamen a Patre est elevatus, & assumptus.

Nec obstat, (Ibid. art. 4. ad 4.) quod dicitur: Et nubes suscepit eum. Non enim sensus est, quod nubes eum sustentaverit, & elevarit, sed quod eum subduxerit ab oculis discipulorum; & ideo dicitur: Nubes suscepit eum ab oculis eorum. Apparuit autem ista nubes in signum Divinitatis, sicut gloria Dei Israel apparebat super Tabernaculum in nube. Statim vero ac subduxit eum nubes, cum antea pedetentim elevaretur, ut melius a Discipulis observaretur, uno quasi momento ad instar fulguris Theol. Billuart. Pars Tertia.

immensa caelorum spatia penetravit, & ad caelorum verticem pervenit.

Dico 4. Probabile est, Christum sic ascendisse super omnes caelos, ut pedibus contingat convexum supremi caeli, & totus sit extra caelos, conformiter Scripturae dicenti Eph. 4. Ascendit super omnes caelos, & Hebr. 7. Pontifex... excelisior caelis factus. Hanc sententiam tenet S. Thom. hic art. 4. & post ipsum Cajet. Suarez, a Lapide, &c. Attamen est ad minus aequum probabile, Christum ascendisse dumtaxat in supremam partem caeli empyrei, & totum in eo esse: idque etiam conformiter Scripturae Marci ult. & Act. 1. Assumptus est in caelum. Act. 3. Quem oportet caelum suscipere. Et Ps. 10. Caelum dicitur Sedes Dei. Atque hanc sententiam tenet S. Thom. in 3. d. 22. q. 3. art. 3. dicens: Non dicitur ascendisse super caelos, quia extra caelum empyreum sit; sed quia in altissimam partem caeli empyrei ascendit. Quem sequuntur Sylvester, Paludanus, & communis Retentores.

Neque sane textus laudati pro 1. sententia, neque aliqua ratio nos cogunt collocare Christum toto corpore extra caelum. Ad 1. ergo textum Eph. 4. Ascendit super omnes caelos, R. cum S. Thom. ultimo citato, intelligendum esse, quod in altissimam caeli partem ascendit: sicut dicitur, ascendisse super arborem vel super turrim, non solum, qui verticem transcendit, sed etiam, qui altiores ramos, vel gradus conscendit, etsi infra verticem haereat. Ad 2. dicitur Pontifex excelisior caelis factus: id est, Pontifex puritate superior coelestibus Spiritibus, qui non habet necessitatem quotidianae, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, ut immediate subdit Apostolus. Vel dicitur excelisior caelis factus, quia penetravit omnes caelos usque ad summum, & sedens ad dexteram Patris supremum in rebus obtinet locum, & imperium.

Dico 5. Effectus, seu fructus Ascensionis Christi sunt partim ea, quae recensimus in 1. Conclus. tanquam motiva illius, scilicet augmentum fidei, spei, & charitatis, & missio Spiritus S. Insuper apertio Regni Caelorum, quorum introitus peccato Proparentis erat nobis oclusus. Item officium Advocati, quod Christus pro nobis erga Patrem exercet, juxta illud 1. Joann. 1. 2. Advocatum habemus apud Patrem, & Rom. 8. qui etiam interpellat pro nobis. Denique manifestatio suae supremae potestatis, Majestatis, gloriae, triumphus, adimpletionis omnium Prophetiarum, acmunificientiae in homines, quos omnis generis dominis, gratis, signis, miraculis cumulat, juxta illud Eph. 4. Ascendit super omnes caelos, ut adimpleret omnia.

ARTICULUS II.

De Tempore, & Loco Ascensionis Christi;

Necnon

De ejus Sessione ad dexteram Patris.

Dico 1. Christus ascendit in caelum 5. Maii, quae hoc anno incidit in feriam 5.

Prob. Christus crucifixus est feria 6. quae erat 25. Martii, surrexit die 3. quae erat Dominica dies 27. ejusdem Martii; in Act. Apost. c. 1. numerantur 40. dies a die Resurrectionis ad diem Ascensionis: ergo contigit Ascensio 5. Maii feria 5. hebdomadae.

Dico 2. Probabile est, Christum ascendisse in caelum circa meridie, seu paulo post: quia Luc. ac Act. 1. postquam dixit: Et convalescens praecipit eis ab Jerusolymis ne discederent, sed ex-

X

pec.